

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertationum Medicarum De Connubio Astrææ Cum
Apolline, Circa Medicinam Forensem**

De Inspectione Cadaveris In genere

**Emmerich, Georg Emmerich, Georg
Regiomonti, 1710**

VD18 1310747X-001

§. II.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8856

§. I.

Enem Medicinæ esse sanitatem corporis humani, Doricâ harmoniâ concinunt, quotquot Institutiones medicas conscribere aut generalia medicinæ præcepta tradere allaborarunt; finis autem hic ultimus cum semper consequi ac obtineri ob varias causas & conditions sæpè impossibiles, quæ vim negandi habent, nequeat, alii alium finem, intermedium dictum, omnibus artibus *μὴ ὀρθούντας* vocatis, in quantum potestate non est, ut quovis tempore finis sui participes fiant, communem ponunt, Scilicet: Omnia ea prospicere ac facere, quæ ad finem ultimum acquirendum sunt necessaria ac proficia; illustrant hoc exemplo Rheticæ, Dialecticæ, Venatoria, Navigatoria artis &c. Conf Bruno in Dogm. Medic. general. Prælimin. §. 4. p. m. 6. Verum enim verò finem ultimum medicinæ strictiorem justo esse conceptum, bipartita medicina, Clinica ac Forensis docet: illius enim finem saltem sanitas hominis vel conservanda vel restituenda constituit, hujus non item, quippè quæ Republicæ salutem ac sanitatem quærit, hinc finem suum justitiae administrationem in quibusdam causis (sat copiosis) accuratiorem agnoscit; sec. mentem Viri Prudentissimi ac Eruditissimi, Professoris Lipsiensis, dum viveret, per orbem celeberrimi D. Joh. Bohnii in tract. de officio Medici duplici, Clinici nimirum ac Forensis p. m.

532.

§. II.

Rectius etiam finis intermedius refellitur ac ad Officium artificis restringitur, omnia enim obire quæ ad finem tendunt, artifici competunt, ejusque officium constituunt, non autem artis finem faciunt; Commodè hinc Seneca l. 7. de beneficiis: Si omnia fecit, inquit, ut sanaret, peregit

A

Medi-



Medicus partes suas, i. e. officio suo satisfecit; hinc nisi finem cum officio confundere velimus, supersedere fine hoc intermedio facile possumus, cui tamen terminus ille finis intermedii adeo placet, Junonem suam non invidebimus.

§. III.

Medici Officium in hoc consistere ut omnia conquerat ac agat, quæ ad fine in ultimum medicinæ, sanitatem acquirendam tendunt, nemo facile negaverit, sed omnes ferè in eo acquiescunt. ~~Cum~~ ~~Quod~~ tamen naris medici hoc officium nimis strictè esse conceptum, ejusque cancellos artius justo positos non injustè conqueruntur, nam medicina non invalidis saltem ac ægrotantibus civibus præst, sed reipublicæ quoque ac justitiæ litat. Conf. cit. Bohnius l. cit. p. 3. 44. s^r 29. nec medicina in solâ scientiâ aut experientiâ consistit, sed ratio impr. ac prudentia maximè commendat medicum; Scilicet: magnum quid, sec. Antonidem van der Linde in Dedicazione Cornelii Celsi, medendi scientia est, majus prudentia atque sapientia, illa quippè scientiæ oculus, hæc manus est. Absque prudentiâ si est, neque tempora lustrare medicus rei bene gerendæ, neque præcipites captare occasiones potest, absque sapientiâ si est, tractato homines ignorat, & suo quemque calopodio calceare; uti vero scientia nisi discendo i. e. Legendo, audiendo, cogitando ita prudentia & sapientia, nisi faciendo & rebus se gerendis accommodando non eomparantur. H. I.

§. IV.

Prudentis hinc ac veri Medici nomen sibi acquirere, qui allaborat, non ad lectum solum mederi, clinicum aut uromantam agere, pulsum tangere, prolixum Recipe (in medicastris verum Decipe) exarare, Consilia ad lectum vel in scriptis dare, cum aliis consilere, aliaque quamplurima præ-

